


ELEGIA

DE INCLYTA  
HEROINA DOMINA

ELISABETA, POTENTISSIMI  
ac illustrissimi Principis ac Domini, Domini  
CHRISTIANI, Ducis Saxoniae, Sacri Ro-  
mani Imperij Archimarschalli & Electoris, Land-  
grauj Thuringiae, Marchionis Misniae, & Burg-  
grauj Magdeburgensis, &c. filia, & de conuentu  
illustris. Principum, cum ea nata XXI. Iulij,  
III. Augusti anni M. D. LXXXVIII,  
baptisaretur, Dresdae facto, &  
spectaculis eo tempore  
ibi exhibitis,



Autore

VALENTINO NEANDRO  
Pricensi Marchico.



D R E S D A E  
Imprimebat Matthaeus Stoeckel.

M. D. LXXXVIII.





## ELEGIA.

**Q**ui didicit Dominum fidenti corde timere,  
Et reuerenter habet iussa verenda DEI.  
Percipit ex sacro verbo solamina grata,  
Et satis ex omni parte beatus erit.  
Illius est semen prælustre, potensq; futurum,  
A fera laudem posteritate feret.  
Iustorum soboli Dominus benedicet, in æuum  
Cuius in exhausta fons bonitate scatet.  
Gloria, laus & honor iustum comitabitur, atq;  
Semper honorato nomine clarus erit.  
Diuitijs magnis, opibus cumulabitur amplis,  
Eius & implebit copia larga domum.  
Illius in Domino fiducia certa recumbit,  
Spes manet in solo firma, tenaxq; DEO.  
Eius erit cornu validum, sublime, potensq;  
Vis prohibente DEO nulla nocere potest.  
Hæc cecinit vates diuino Regius ore,  
Qui cytharam tetigit, sceptrâ tulitq; manu.  
Imperij ELECTOR Dux, illustrissime Princeps,  
Misnia cui paret SAXONICUMq; solum,  
Et tua cognoscit pia mens, perpendit & illa,  
Ut pius à CHRISTI nomine nomen habes.  
Gloria, diuitiæ, decus atq; potentia, regnum,  
Principibus veniunt omnia dante DEO.  
Qui populos pietate regant, & iure gubernent,  
Sintq; patres patriæ, dat DEVS ipse Duces.  
Transfertur regnum populi ob peccata, Ducumq;  
Grata DEO pietas, iusq; tuentur idem.

A 2

Gloria,



Gloria, diuitiæ, decus atq; potentia, regnum  
Obuènere tibi Dux pie dante DEO,  
Regna paterna regis pietate & iure gubernas,  
Cura tibi sacra sunt templa, scholæq; fora,  
Magna DEI dulces sunt nati dona fauentis,  
Est sine prole domus, ceu sine sole polus,  
Inclyta Saxoniae domus est prius aucta virili  
Proleq; foeminea Dux generose tua,  
Heroïna tibi nunc est quoq; filia nata  
Electoꝝ, paucae præteriêre dies,  
Orta dies fuerat mensis vigesima prima,  
Qui veluti Cæsar nomen Iulus habet.  
Lux ea solis erat, CHRISTO quæ festa dicata,  
Conuersæ Mariæ proxima sacra dies,  
Sicut Ephemerides sunt scriptæ lege vetusta,  
Non ego more tuo Roma recente loquor.  
Littera scripta Ducum celeri pede fertur in aulas,  
Ensifero quod sit filia nata Duci.  
Mox iter instituit SEPTENVIR is inclytus, amplam  
MARCHIACAM ac totam qui moderatur humum.  
Dux Brunsvicensis, Lunburgensisq; PHILIPPVS  
Hoc cum Marchiaco Principe fecit iter,  
Per Zossam, Cinnam, Iutrebocam hanc itur in arcem,  
ANNÆ quæ pulcro nomine nomen habet.  
Arx hæc Saxoniae est Electoralis in oris,  
Cinctus & hic muris maximus hortus adest.  
Inde LIBENVVERDAM veniunt, HAINAMq; celebrem  
Illustres Dresdam restat adire Duces,  
Principibus binis Septemuir is obuius ibat,  
Qui Dux Saxonici est Misniaciq; soli.

Conueni

Conueniunt Hainæ, lætissima prandia fiunt,  
Contingunt D R E S D A M sole cadente Duces,  
Inclytus Hessorum Princeps G V I L E L M V S, & illo  
M A V R I C I V S claro de genitore fatus,  
Quos caput Aonias altè exeruisse per artes,  
Ingenium studijs excoluisse iuuat,  
Principibus iunctus Dux qui florentibus annis  
C H R I S T O P H O R V S Lunæ nomen ab vrbe tenet,  
Stirpis Anhaldinæ Princeps B E R N H A R D V S ab vrfa,  
Quam gerit illa domus nobile nomen habens,  
Sunt vbi C V S T R I N O valida egrediuntur ab vrbe,  
Et Besecum veniunt C O T B V S I A M q̄ Duces,  
Hinc S E N F T E N B E R G A M contingunt, Misnica regna,  
Et D R E S D A M, tangit quam celer Albis aquis.  
Obuius ex Dresda venit his exercitus auro  
Splendidus, & multis conspiciendus equis.  
Qua celebrem Dresdam veniunt Heroës ad Albim,  
Hæc lux Augusti tertia mensis erat,  
Sed prius aduenit I O H A N N E S ille G E O R G V S  
Ascaniæ veteris gloria lausq̄ domus.  
Fratribus ex reliquis Princeps hic maximus annis  
Iusticia populos & pietate regit,  
Saxoniae qui nunc est Electoris in aula  
Is pius à C H R I S T I nomine nomen habet.  
Tertius est frater B E R N H A R D V S, nobilis hæc stirps  
Conueniens nomen, quam gerit, vrfa dedit,  
Pierias horum mens est exculpta per artes  
Mitior est docti mens generosa Ducis.  
Hic foret immensus labor omnia condere versu,  
Vrbs quam sit præstans, splendida, Dresda nitens.

Sit quibus hæc munita modis, pulcerrima longè  
 Arx quàm Saxonici culta sit aula Ducis.  
 Quàm varia & quàm sint spectula splendida facta,  
 Conuentus Dresdæ dum fuit ille Ducum.  
 Carmine præsentis modò quædam dicere mens est,  
 Hocq; rei summam sit tetigisse satis.  
 Condita res cultis numeris, versuq; sonoro  
 Delectat doctos, afficit hosq; magis.  
 Carmina quam celebrant sit res illustrior illa,  
 A sera poterit posteritate legi.  
**I**OHANNES MAIOR vates nunc maximus inter  
 Cantare hæc versu splendidior potest.  
**P**ETRVS & ALBINVS, Ducis accersitus in aulam  
 Enliferi, melius si vacat, illa canet.  
 Et nostri versus Heroibus atq; patronis,  
 Aonij fontis sunt decus hiq; placent.  
 Carmina parua licet tenui deductaq; filo  
 Vatibus & sunt his nostra probata prius.  
**D**RESDA vetus domibus mediocribus atq; vetustis  
 Constat, & ad Dresdam nil facit illa nouam.  
 Vnde venit frigus nobis hæc spectat ad Arcton,  
 Horridior Boreas spargit & vnde niues.  
 Hæc NOVA DRESDA sita est, quæ sol in culmine cœli  
 Exiguas vmbas efficit atq; breues.  
**A**LBI S arenosis has inter labitur vndis,  
 Qui venit ex agris terra Boëma tuis.  
 Egregias, factas ex saxis atq; venustas,  
 Ac habet excelsas hæc noua Dresda domos.  
 Non pudeat tales ædes habitare Barones,  
 Et precio magno venditur vna domus,  
Ciuibus



Ciuiibus & tales sunt ædes, hisq̃, potentis  
Quos fouet Eniferi Principis aula, viris,  
Arx Electoris quàm sit speciosa, decora,  
Pulcra, satis verbis dicere nemo potest,  
Construitur noua pulcra domus, longissima, lata,  
Ima parte domus & stabulantur equi,  
Sumptibus Elector magnis hanc ornat ut arcem,  
Arcis & est claro nomine digna domus,  
Arcem contingit quadam quoq̃ parte propinquam,  
Multo auro saxis ædificata nitet,  
Postera lux orta est Augusti quarta serena,  
Ac erat illa DEO sacra dicata dies,  
Heroïna infans sacro baptismo CHRISTO  
Inferitur, fiunt vota piæq̃ preces,  
Prandia quòd claris Ducibus sint lauta parata,  
Tympara pulsa sonant tergora tensa boum,  
Atq̃ tubæ vicibus mediocre & grande sonantes  
Inflantur certis, & tuba clara sonat,  
Splendida Regali fiunt conuiuia more,  
Est dapis & dulcis copia magna meri,  
Sunt epulæ inuictò Romano CÆSARE dignæ,  
Forte datur reddens pectora læta merum,  
Transijt illa dies, certamen equestre paratur,  
Arcis vbi septis area cincta fuit,  
Annulus ex binis dependet fune columnis,  
Cogitur has inter currere fortis eques,  
Sæpius hunc hastæ qui cuspide tangit & aufert  
Fortis eques, lætus munere victor abit,  
Crateras statuunt auro, calicesq̃ coruscos,  
Victor honoratus pocula victa capit.

Apparent equites SEPTENVIR SAXO, Duo  
Conspicui clara nobilitate viri. (ces,  
Obducta facie veniunt & veste nitente,  
Ac varia, veluti gens peregrina gerit.  
Plurima vestis erat crocei, nigricq; coloris,  
Et iuncto alba nigro, candida mixta rubro.  
Ceruleus fuit & viridis, vestitus & albus,  
Hunc variant mirè forma, figura, modus.  
Ardens procedit mira ratione caminus,  
Incantatrices hancq; sequuntur anus.  
Huncq; decem Monachi comitantur parte ab vtraq;  
Diuisus numerus cingit vtrumq; latus.  
Atq; viri vetulas ducunt vno pede claudí,  
Pes quibus vnus erat, ligneus alter erat.  
Est anus in prima parte, adiunctusq; Sacerdos,  
Solatur verbis pectora mœsta sacris.  
Atq; duas vetulas Monachi tali duo portant  
Curru, quo tantum vertitur vna rota.  
Impellunt Monachi moniales fuste puellæ,  
Iunctus erat funis, sic ea pompa fuit.  
Coniiciuntur anus in flammis, nec mora longa est,  
Plurima, res mira est, pulcra puella redit.  
Certare incipiunt, tangant vt cuspide cyclum,  
Acer eques freno nil remorante volat.  
Applausus sequitur, magnus clangorq; tubarum,  
Hastæ cum cyclum cuspide tangit eques.  
Densa venit nubes nigra caligine mixta,  
Sectantur nubem quattuor hancq; viri.  
Ac elementorum capite alto quilibet vnum  
Gestat, & hi signis sic elementa notant.

Ignis

igneus est ignis serpens, auis aëra signat,  
Piscis aquas, terram significatq; frutex.  
Præcedunt iuuenes, sonitum dant atq; canorum  
Tibia cum lituo, grande sonansq; tuba.  
Ensifer ipse potens **ELECTOR SAXO** caballi  
Auratus celeris fortia terga premens,  
Inclutus insignem valida dextra tenet hastam,  
Currentiq; iuuat subdere calcar equo.  
Quadrupedantis equi sonitu quatit vngula terram,  
Aduolat ac Heros more volantis auis.  
Præpetibus veluti volitauit Pegasus alis,  
Fortis & Æacidæ ceu celer iuit equus.  
Concertant Princeps, Comes & Baro, nobilis æque,  
Amittit victus, lucraq; victor habet.  
Martis lux oritur, contexta domuncula lignis  
Arbore decisis frondibus ecce venit.  
Intus aues adsunt & stant in culmine summo,  
Sæpius ex illa missa columba volat.  
Profiliunt timidi lepores, astutaq; vulpes,  
Et cum bestiolis hisce Sciurus adest.  
Dulcisonas cytharæ tangunt qui pollice chordas,  
Præcedunt iuuenes, & puer alta canit.  
Præcedente die veluti, sic cuspide cyclum  
Tangere contendunt nobilis atq; Duces.  
Hinc tristes abeunt qui pocula nulla reportant,  
Victor habens cyathum lætior inde redit.  
Mercurij veniente die certamina fiunt,  
Est vbi quadrato curia cuncta foro.  
Ante dies paucos aduectabatur arena,  
Et septis cincta est area magna fori.  
Lignea structa domus stabat depicta figuris,  
Excelsi montis turris & instar erat.

Saxeus hic mons est, varia ac est arbore pulcer,  
In summo montis culmine turris adest.  
Hic fictos vigiles bombardis, ensibus, hastis  
Et mons saxosus, turris & alta gerit.  
Per medium montem latissima porta parata est,  
Hac eques ac hastam possit ut ire tenens.  
Hac aperit sese Ducibus venientibus vltro,  
Per varias etiam clauditur illa vices.  
Ut litui resonant, ut fit clangorq; tubarum,  
Plurimus apparet fortis & acer eques,  
Et labor ac operæ cessant, concursus vbiq; est,  
Pompa Ducum posthac conspicienda venit.  
Cerneret ut, fierent quæ nam spectacula Dresdæ,  
Esset clarorum quantaq; pompa Ducum,  
Vrbibus ex multis hominum confluxerat ingens  
Copia, non deerat rustica turba frequens.  
Omnibus ex domibus vicinis copia spectat  
Splendida clarorum, nobiliumq; virum,  
Ædibus in cunctis quæ spectant plena fenestra est,  
Et domino precium prouenit inde domus.  
Hic pueri spectant, iuuenesq; viriq; senesq;  
Inq; foro lato, foemineusq; chorus.  
Altior ut videat pars adfert plurima scamna,  
Pars astans propior lignea septa premit.  
In tectis etiam, templi quoq; turre propinqua  
Pars hominum quædam, cernat ut illa, sedet.  
HESSIACVS Princeps senior spectacula cernit,  
Est vbi vicino curia iuncta foro.  
Hic ELECTORVM spectat generosa propago,  
Hic chorus est præsens foemineusq; Ducum.  
Ferreus indutus thorax est, & tenet hastam  
Cuspide ferratam nobilis acer eques,

Inclytus

Inclytus atq; potens præfens **ELECTOR** vterq;  
Quadrupedantis equi pinguia terga premit,  
Atq; Duces alij, quorum sunt nomina dicta  
Adfunt, & præfens cœtus equeſtris erat.  
Conſpicua accendit fortes præfentia mentes  
Illa Ducum, Heroum, nobiliumq; virum,  
Qui ſternent alios ferrati ex ſede caballi,  
Enſifer his largus præmia digna dabit.  
Congressus ſequitur, validis pugnatur & haſtis,  
Pulſatur thorax, fit grauis inde ſonus,  
Non ſemper feriunt, quoties congressus habetur,  
Nec ſemper tactus mox cadit omnis eques,  
Forte ſed vrgetur, longum certamen & acre,  
Ac equites altis deſciuntur equis.  
Hinc haſtis leuibus pugna certatur equeſtri,  
Et gladio ſtricto verberat acer eques.  
Enſibus ac haſtis quoq; concertatur in aula,  
Splendida nobilium pugna pedeſtris erat,  
Spectat vterq; potens **SEPTEMVIR** & inclytus, atq;  
Illuſtres alij lumina clara Duces.  
Nobilis & ſpectat clariffimus aulicus ordo,  
Nec non fœmineus, pulcra corona, chorus,  
Arcubus hinc ac bombardis certatur abundè,  
Venatum in ſiluas & iuuat ire Duces.  
Sicq; dies multos **ELECTOR** tractat amicè  
Heroes, quos hinc & iuuat ire domum.  
Vtile ſit petimus, quod conueniſtis in vnum  
Heroës patriæ, lumina reſq; patres,  
Longæuam vitam, curſum vitæq; ſecundum,  
Felix det vobis imperiumq; **DEVS**.  
Heroïna recens ſit felix inclyta nata,  
Huic tribuat clemens fata ſecunda **DEVS**.  
**FINIS.**

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or index of some kind, possibly containing names and titles. The characters are difficult to discern due to the fading and the texture of the paper.



18. Nov 1996

Nh 1217

ULB Halle 3  
001 600 079



TA → OL










7

ELEGIA  
DE INCLYTA  
HEROINA DOMINA  
ELISABETA, POTENTISSIMI  
ac illustrissimi Principis ac Domini, Domini  
CHRISTIANI, Ducis Saxoniae, Sacri Ro-  
mani Imperij Archimarschalli & Electoris, Land-  
grauj Thuringiae, Marchionis Misniae, & Burg-  
grauj Magdeburgensis, &c. filia, & de conuentu  
illustris. Principum, cum ea nata XXI. Iulij,  
III. Augusti anni M. D. LXXXVIII,  
baptisaretur, Dresdae facto, &  
spectaculis eo tempore  
ibi exhibitis,  
☞☞☞  
Autore  
VALENTINO NEANDRO  
Pricensi Marchico.  
  
D R E S D A E  
Imprimebat Matthaeus Stoeckel.  
M. D. LXXXVIII.

8.